Fragmentarium

capud holofernis, Acceperitq; unusquisq; uir arma sua
& egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu, Quod uiden
tes exploratores ad tabernaculum cucurrerunt,
porro hii qui in tabernaculo erant uenientes & ante ingres
sum cubiculi prestrepentes excitandi gratia inquietudine
arte molliebantur. Ut non ab excitantib; sed a sonantib;
holofernis euigilaret, Nullus enim audebat cubiculum
uirtutis assyriorum pulsando aut intrando aperire,
Sed cum uenissent duces eorum & tribuni & uniuersi maiores
exercitus assyriorum dixerunt cubiculariis, Intratae
& excitate illum quoniam egressi mures de cauernis suis
ausi sunt prouocare ad proelium, Tunc ingressus bagao
cubiculum eius stetit ante cortinam & plausum fecit manib;
suis. suspicabatur enim illum cum iudith dormire.
Sed cum nullum motum iacentis sensu aurium caperet accessit
proximans ad cortinam & eleuans eam uidens iacens cadauer
absq; capitae holofernis in suo sanguine tabe factum
iacere super terram. Exclamauit uoce magna cum fletu & scidit
uestimenta sua. & ingressus tabernaculum iudith & non inue
nit eam. & exiliuit foras ad populum & dixit, Una mulier
hebrea fecit confusionem in domo regis nabuchodonosor,
Ecce enim holofernis iacet in terra & caput ipsius non est in illo,
Quod cum audissent principes uirtutis assyriorum sciderunt
omnes uestimenta sua. & intollerabilis timor & tremor
cecidit super eos. & turbati sunt animi eorum ualdae,

Judith. XIV, 7–17

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. 15346, Cod15346_7av – Biblia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-7d54/3878/41108)